

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Franz Albert Schultz

**Programma Utrum Deum Deceat, Filium Suum Unicum In Carnem Humanam
Misisse? : Die Servatoris Nostri Natali, Pio Mentis Affectu**

Regiomonti: Hartung, 1759

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn84397883X>

Druck Freier  Zugang





in Rostock gefunden
101 d. B.

48. 6. 11.

425

Fa - 1092(10)

- 1) Juddel (Joh. Iac. thdt) de ling. libilitate
 et apostolorum
 2) Stuler (Gerhard. Henning.) de chorea
 3) Viti
 4) Quistorp (Joh Bernh.) de mystici
 Spiritus sancti in Mariam sapientia
 tu ruxta Effectum Lue 1, 34
 5) Bibliotheca elegantiorum et fructuosa
 rum in illustriora et selectiona veteri
 chronori Testimenti loca
 6) Linck (Jr. Olsfr. Dach) Almanac
 der in den Jahren zu Linck Insu feste
 und feiern
 7) Bockius (Joh. Gottl.) De Philipp
 Melanchthonis in Academiam Lipsi
 carum insignibus meritis oratio
 8) Doeveler (Christ. Albert.) de dono
 Spiritus Sancti ad episcopi Ministerium
 nam allegato
 9) Wiggers (Otto. Ernst. Christ.) de Usu et
 Abusu rationis humanae in rebus divinis
 10) Christ. Augustini Conformatioe dno Pauli
 iuris iustitiae principiis et spiritu spiritu
 Joh. Carl Ludwings Kraft. Opuscula omnia. Vol. I.
 11) Mulleri (Joh. Steph.) Christus per ipsa
 locinianorum placita Deus
 12) a Ballhabar (Joh. Henr.) Historia locorum
 Theologicorum stil Melanchthonis
 13) Hulkius (Steph. Iac.) de Letro non Petra
 Deinde de Vocatione ad ministerium
 ecclesiasticum
 14) Schulte (Steph.) Archaeologae faciae
- 15) Lüx (Joh. Ernest.) Archimaticus. Historia agri Dno
 in Saxoniam 10 Sept 1764 anno undevicti
 scriptus Lüx from the Evangelick Lukas
 colonie zu Philippinen in der Moldau oder
 transissima Wallachei von dem ehemaligen
 zu zwoen annis anno und Lyppe sive
 Tit. Quoniam Iesu Christus vnde
 fuisse corpus eius et Elizabetha fuisse
 Ordinatione ubi in Witten Rom. xii, 24
 16) Casaubon (Uereric) de Antiquitate monumentorum
 17) Kraftens (Joh. Melch.) Thesaurus historiarum
 et scripturarum germanicarum
 18) Zellius (Cyp. Luy) Historia hystoriarum
 Rom. in yderlanden. Libri VI. et eius
 pars Christiana d. M. Lutheri in yderlanden
 Linck et dno Tatorum. Parte I. et II.
 19) Kraftens (Joh. Melch.) Thesaurus continuatus
 historiarum scripturarum germanicarum
 20) Dell. I. M. K. Thesaurus continuatus et supradic
 torum continet in multis scriptis sententias in
 philippinum Thesaurus
 21) Doeveler (Christ. Albert.) Institutio no
 niae Academicae Trivitiae Rerum historiencu
 m indic. atque cœ.
 22) Lorenz war cabinus Thesaurus in philippin
 scriptis continet in multis scriptis sententias in
 philippinum Thesaurus
 23) Loppius (Carl. Tric.) Scripturale quo senten
 tia veteris et novi testam. et momentum
 24) Sturm (Christ. Christ.) commentario quo
 Academicorum Doctorum apud. Vetus principes
 exhibitionem et decimi quinque et fuerunt
 sublegentrum facultatum apudibus recentes
 25) Remmeli (Cord. Gottw.) de nomine Christi
 anni huius origine et notione
 26) Reinhard (Gauvin) principia Theologica
 comparatae et prolatas

- 27) Doderlein (Christ Albert) de Christiano
Christo ex mortuis ~~expromptis~~ resurgentie
Hungarii ab ultrastranorum locum Savinianus^{11,4}
- 28) Renn (Carl Joh.) Craculum in Euan.
Ine 1, 16-21 ex Epi 4, 1, 2 citatum de
- 29) Rektor et statutor Academiae Regiomontanae
tarae programma utrum Deum deceat
hunc suum unicum in carnem humanam misse
- 30) Fries (Joh. Gott.) de doctrina legum Mosei
carum praefectio Martitono opposita
- 31) Scherzer (Andr. Christ.) de litteris vocali
tus et accentibus in scriptura vetera
Ieffamenis hebreis

PROGRAMMA,
UTRUM DEUM
DECEAT,
FILIUM SUUM UNICUM
IN CARNEM HUMANAM MISSE?
DIE SERVATORIS NOSTRI
NATALI,
PIO MENTIS AFFECTU,
PROPOSITUM

RECTORE ET SENATU
ACADEMIAE REGIOMONTANAЕ.

ANNO



MDCCLIX.

REGIOMONTI,
LITTERIS HARTUNGIANIS.

a. 20

Q

uod Deus ter optimus terque maximus Filium suum unicūm miserit in hanc tellurem, ut mortali se carne nostra indueret, et eadem vestitus non solum nos viam doceret, quae dicit ad aeternam beatitudinem; sed ut eadem in carne lueret quoque poenas, peccatis nostris debitas, nostroque loco plenissime impleret, quod lex jubet; adeoque tum nos ab aeternis flammis praestaret tutos, tum jus quoque nobis acquireret et aditum pararet ad felicitatem aeternam; in his spei nostrae vertitur cardo, et salutis nostrae ponitur ancora. Enimvero, cum nostrarum partium esset, grata et devotissima mente, hanc Dei et Servatoris nostri benignitatem agnoscere, idque remis ac velis agere omnibus, ut ipsius hujus, quam voce ecclesiastica, *incarnationem* Christi dicimus, beneficio salvi evaderemus: ea tamen permultorum, proh dolor, perversa et perdita plane est indoles, ut non solum hoc oblatum sibi beneficium respuant, aspernentur et repellant; sed ut id quoque omnibus agant viribus, quō Dei hanc gratiosam in nos voluntatem, prodigiis et portentis de coelo satis firmatam, absconam et Deo indignam pronuntient, et, quod inde consequitur, ipsa salutis nostrae fundamenta evertere fatagant.

Quam vehementer autem in his fallant et fallantur, hoc ipso die festo, qui recolendis natalibus Servatoris nostri sacer est, demonstrabimus.

Non diffitemur autem, quin potius asserimus ipsi, quod negotiūm hoc incarnationis Filii Dei mysterii sit plenissimum, et forte inter reliqua, quae revelatio tradit, mysteria maximum, in eodemque obvia esse non pauca, quae tum hominum, tum ipsorum etiam Angelorum superant captum; quare Apostolus ipse scribit 1 Tim. III, 16: *citra controversiam; mysterium est magnum; Deus apparuit in carne.*

Interea, si de eo ex hac parte iudicandum est, utrum Deum deceat, et eo dignum sit, hominum in gratiam ablegasse Filium suum unicūm in carnem; tantum abesse, confidenter pronuntiamus, ut opus hoc Deum dedebeat, ut potius nihil peraeque ne cogitatione quidem assequi liceat, quod magis eo sit dignum, eumque magis deceat.

De quibus autem, ut liquidius et plenius constet, in limine statim monendum ducimus, quod, concinentibus nobis tum Theologis, tum Philosophis omnibus, id dicamus, *Deum decere*, quod ejus conve-

convenit attributis. Contra ea, id Deo indignum, eumque dede-
cere appellamus, quod eius attributis repugnat, illisque detrahit.

Quod autem nullo modo fiat per dogma de Filii Dei in-
carnatione, hoc nullo negotio conspici dabitur, si modo animum rite
attendimus ad ejus, quod Deo dignum aut indignum sit, notionem
illam, quam modo exhibuimus.

Et quidem, quod non repugnet Dei attributis, quae quiescen-
tia audiunt, v. g. ejus aeternitati, simplicitati, cet. nec ejus omnisci-
entiae et omnipotentiae, de his non attinet vel quicquam exponere,
cum haec cuilibet, vel leviter animum attendenti, satis superque
clareant. Quod autem nec illis attributis, quae moralia dicimus,
non repugnet, quin illa potius mirifice efferaat atque collustret, id,
quantum nostro proposito satis est, sequentia extra controversiam
ponent. Missio scilicet Filii Dei in nostram gratiam non repugnat

I.) Dei *benignitati* et *beneficentiae*, quin potius hanc commendat,
et ita conspiciendam praebet, ut nihil cogitari possit supra. Dei
enim *beneficentia* et *benignitas* ponitur in his, ut studeat perfectio-
ni et felicitati eorum, quae condidit, quounque modo perfectionis
et felicitatis sunt capacia, et perfectioni totius universi nihil deroga-
gatur. Quo majora, itaque, ex hoc illo de facto divino bona et be-
neficia in ea, quae condidit, profluere ponuntur, eo major et illu-
strior, per illud ipsum, Deo tribuitur et adscribitur benignitas et be-
neficentia. Enimvero, ex missione Filii Dei in carnem, si facta est,
quod ii, qui Christi castra sequuntur, propugnant omnes, fluit

1) *primo loco generis* humani, ut nunc se ejus res habent, *salus*
omnis. Postquam enim in primis parentibus peccatores nos sumus
facti, poenae quoque aeternae facti sumus obnoxii; quae quidem
nostra conditio, nisi fuisset immutata, nobis melius fuisset, si nun-
quam fuissimus nati et conditi; siquidem satius est, omnino non
vivere, quam misere vivere; satius, in nihilum redigi, quam aeter-
nos cruciatus perpeti. Math. XXVI, 24. Per missionem autem
filii Dei in carnem, et per illa, quae hac carne nostra vestitus fecit
et perpessus est, non solum id est effectum, *ut reatu hoc solvi possi-*
mus omnes, quotquot eo solvi serio cupimus; sed *major quoque pro*
nobis parta et parata est beatitas, quam quidem illa fuit, in qua initio conditi
eramus et ad quam, per Adami obedientiam, aut propriam, pertingere
nobis fuisset datum. Propterea, quod jus illud, quo jam gaude-
mus postulandi, aut, si mavis, exspectandi a Deo felicitatem, non funda-
mentum

tum est in obedientia Adami, aut obsequio proprio; sed in illis, quae Christus praestitit, fecit et perpessus est. Hujus autem obedientia tanto perfectior est obedientia nostra et Adami, quanto praestantior Christus est Adamo et hominibus omnibus, imo, et ipsis Angelis; Ebr. II, 2. 3. conf. Ebr. I, 4-14. Rom. V, 12-27. Ut itaque vel hoc nomine, non sine ratione, antiqua Ecclesia, cum Hippo-nensium Praefule, Augustino, cecinerit: *O felix Adae peccatum, quod meruit, tantum habuisse Redemptorem.*

2) Per missionem hanc Filii Dei in carnem nostram non solum hoc effectum est, ut jam major nobis parata sit felicitas, quam quidem praeter hanc exspectare nobis licuisset: sed major quoque et longe arctior parata est humani generis, cum Deo, coniunctio, majorque dignitas, et ejus quidem generis dignitas, quae longo intervallo et illam post se relinquit, quae ipsorum est Angelorum. Sunt hi, quantum naturam illorum in se spectamus, praestantiores longe hominibus, et ipso etiam Adamo in statu quoque innocentiae; siquidem natura adeo praecellentem gaudent, ut Apostolus, Filii Dei verissimi nominis divinitatem evicturus, sibi visus sit id, inter alia, et per hoc satis probasse, si illum Angelis superiorem esse demonstraret. Ebr. I, 4-14. Enimvero cum Filius Dei, non Angelorum, sed nostram sibi naturam junxit, et hanc sibi intime univit; non ille ipse modo ex aeterna generatione, sed nos quoque, per eum et ejus incarnationem, summa necessitudine Deum attingimus. Qua de causa, quando hac nostra consuetudine, qua Deo per Christum juncti sumus, recte utimur, et per fidem quoque Christo agglutinamur, Paulus nos non haeredes modo Dei, sed cohaeredes quoque Christi pronuntiat, Rom. VIII, 17. et hoc quidem non sine valida ratione; siquidem hac via, in eandem relationem versus Deum transimus, et iudicio voluntateque Dei Patris et Filii constituimur, in qua quidem Christus est constitutus.

3) Haec carnis nostraræ a Filio Dei assumptio, *sponsionis fideique pignus nobis* dat certissimum, nihil tam grave, nihil tam pretiosum et prae-cellens esse, quod nobis, ex Dei et Christi benignitate et beneficentia, non liceat exspectare in posterum quoque. Cum enim hac ipsa missione Filii in carnem, abunde testatus est Pater, quam vehementer nobis cupiat; si quidem nec filium nobis negaverit, nec eidem perpercerit, sed eum pro nobis omnibus tradiderit, quo quidem ipse nihil habet praestantius, nihil sublimius, nihilque carius: qui dubitare

tare possumus, quin nobis tunc cum illo, omnia sit largitur, quae ex se ad nos modo proficiuntur possunt beneficia? Et, cum Filius, qui idem cum Patre altissimus est Deus, non recusavit nostram in gratiam carne se nostra contegere, in eadem vitam deponere et sanguinem profundere; quid tam grave, quidque tam grande vel animo concepi potest, vel cogitatione fangi, quod non fidenti animo et plenissima fiducia, ex ejus in nos amore sperare jam nobis concessum sit? Rom. VIII, 30. 31. 32. 33. Rom. V, 5. seq. Multa sane et eximia sunt beneficia, quibus Dei liberalitas nos, praeterea non numerandis aliis, ditavit: dum ille nos non solum jussit ex nihilo prodire; non solum in nostrum commodum tot tantaque condidit, quorum nec numerum inire nobis est datum; sed, jam ab initio quoque, nos ad suam imaginem effinxit, ita quidem, ut, cum reliqua, quae Deus condidit, ejus quasi tergum modo, ejusque vestigia conspicienda praebent, nos vultum quasi et faciem ejus exprimant, et oris ejus imagine coruscamus. Gen. I, 26. 27. 28. Sap. II, 23. Verum, quando haec, et quae hoc genus sunt plura, contendimus cum illo beneficio, quod filium suum unicum nostram assumere carnem procuraverit; illa omnia sic obfuscantur, atque quidem stellae, eaeque et primae magnitudinis, ad surgentis solis radios disparent; 1 Joh. IV, 9. 10. Joh. III, 16. Rom. V, 8. Joh. XV, 13. 1 Joh. III, 16. Eph. III, 19.

4) Per hanc filii sui, in carnem nostram, missionem Deus benignitatis suae documentum extare voluit, non solum in genus humanum, sed in omnem quoque suam civitatem et spirituum sanctorum multitudinem. Verissimum est, quod in coniunctionem illam intimam, per incarnationem Filii Dei, primo loco venerit Christi natura humana; proxime ab illa et per illam, genus humanum omne Christo necessitate coniunctissimum. Verum enim vero, cum genus humanum pars sit et portio universae Dei civitatis; profecto, quicquid per eandem, huic ut parti contigit, ad universam quoque Dei civitatem pertinet. Non temere itaque incolae coeli omnes et spirituum sanctorum universitas laetari dicuntur, quoties vel unicus mortalium ad Deum se convertit, Luc. XV, 7. 10. neque abs re, cum Christus nasceretur, integra Angelorum cohors laetabunda adstabat, Deumque laudabat, Luc. II; quoniam ex hoc ipso Christi in carnem adventu, divinae beneficentiae experimentum non in homines modo, sed in se ipsos quoque capiebant. Immensum sane pelagus hic se nobis aperit,

aperit, in quod exspatiari daretur meditationi nostrae, si nobis licet copiosiores esse: sed angusti isti cancelli, quibus circumscribitur haec nostra tractatio, vela contrahere iubet. Interea hoc unicum praetermittere nefas esset, quod per hanc ipsam carnem, quam sibi Filius Dei sociavit, humanam, *omni rerum universitati quoque eximia accreverit dignitas; siquidem per eandem effectum est, ut universum, qua patet, immensam praestantiam immensumque pretium adeptum sit, ut Deus id longe maioris faciat, eique magis quoque faveat, quam quidem, si eidem, per hanc incarnationem, Filius Dei non fuisset intextus.* Peraeque eadem ratione, atque annulo medicis valoris, eximum additur pretium, quando gemma quadam clarissima distinguitur; atque Rex Ahasyrus propensa voluntate prosequebatur gentem Judaeorum eique insignia indulgebat privilegia, tantum quod certior erat factus, ex eadem Estheram esse ortam, quam matrimonio sibi iunctam habebat; atque Deus ipse Israelitas amabat, illosque amplissimis ornabat beneficiis, ex sola hac causa, quia Abrahamo, Isaaco et Jacobo necessitudine erant coniuncti. Quoties enim iam Deus rerum intuetur compagem, toties eidem Filium suum innexum intuetur. Ut itaque haec filii Dei incarnation, non generi modo humano, non civitati modo Dei, sed omni quoque rerum universitati pretium dignitatemque addiderit, et denique Dei favorem conciliaverit tantum, quanto, extra illam, nunquam fuisset gavisa. Hinc *Ill. Leibnitzius, in Epitome controversiae ad syllogismos redactae, Tentaminibus Theodiceae annexa. in responsione ad Object. I.* ita ait: „Adami lapsus a Veteribus dictus felix culpa, quia „cum foenore immenso reparata fuit, per incarnationem Filii „Dei, quae universo nobilis quid impertiit, quam quicquid „in rebus creatis, absque illa futurum fuisset. „Per incarnationem Christi autem intelligit, et ea comprehendit *Vir Ill.* omnia auxilia, omniaque beneficia, quae intuitu optimi Sospitatoris nostri, tum generi humano, tum toti civitati Dei, seu spirituum multitudini, tum mundo huic adspectabili obtingunt. Et idem ille *Vir illustris, in causae Dei apologetica iratione §. 49.* ita scribit: „Optimae „huic seriei rerum eligendae, maxima ratio fuit Christus, θεος, sed qui, quatenus creatura est ad summum provecta, in serie „nobilissima contineri debebat, tanquam universi creati pars, imo ca- „put, cui omnis tandem potestas data est in coelo et in terra, „in quo benedici debuerunt omnes gentes. Quae, si rede- expen-

expenduntur, hoc saltem satis superque loquuntur, quod per hanc Filii Dei missionem in carnem, tantum perfectionis, totque bona accesserint generi humano, civitati Dei universae, quid? quod omni rerum conditarum universitati, quodque per eandem hanc tanta extant, in hoc universo, benignitatis et beneficentiae divinae documenta, quot quantaque non existissent, si Deus eam non procurasset. Cumque Deum non dedebeat, sed eo dignissimum sit id, quod eius, qua bonus est, benignitatem et beneficentiam commendat, effert et collustrat: tantum abest, ut haec Filii sui incarnatione volente et procurante Deo facta, eum dedebeat, ut potius nihil peraeque Deo dignum, vel cogitatione fingi possit. At, eadem haec Filii Dei incarnatione, non benignitatem modo et beneficentiam Dei, sed

II.) Dei quoque sanctitatem amplificat et conspiciendam praebet.

Sanctum enim nuncupamus Deum, non solum eo nomine, quod ipse aduersetur malum morale, sive peccatum, et contra amore prosequatur illud, quod rectum est et iustum; sed quod eo quoque directum habeat animum, ut illud fugiant et hoc sectentur quoque intentia, ratione et libera voluntate praedita, omnia. Enim vero, ad hoc boni rectique studium in sua civitate promovendum, non una ratione, mirifice facit missio filii Dei in carnem.

Primo, enim, hoc pacto tale virtutis, pietatis et sanctitatis mundo huic inuestitum est exemplum, quale, extra hanc Christi incarnationem, eidem non inexistisset. Ita enim studuit ille virtuti naturali, quae complectitur officia, quae nobis ipsis debemus, e. g. temperantiae, mansuetudini, castitati, cet. ut nemo inter ipsis ei inimicissimos, illum coarguere potuerit peccati; ad eum medium publicam rem curae cordique habuit, ut ei promovenda, vitam quoque deponere et sanguinem profundere non detrectaverit, et id quidem eorum quoque in gratiam, qui eius infensissimi erant inimici; ea in Deum erat pietate, ut lubentissime, eo volente, exquisitissimos dolores et cruciatu, quid, quod mortem ignominiosissimam subire non recusaverit. In his omnibus nobis tale, ad illud imitandum, propositum est exemplum, quale nec Adamus, imo nec ipsi Angeli nobis exhibit. Quantum enim ad Adamum, liget sanctus et purus conditus, ita tamen lapsus est, ut non solum sibi ipsis, sed nobis quoque omnibus, gravissimum contraxerit reatum, nosque omnes, una cum se ipso, in omnis generis miseriam dedecit praecepites. Quod autem ad Angelos, et quidem sanctos illos,

adinet,

18.

27.

attinet, illi quidem praeclarum nobis praebent exemplum, quod imitari nos oportet; obedientia tamen, quam iidem praestant Deo, longe inferioris est ordinis, quam quidem illa, quam Deo praestitit Christus. Quiequid enim illi Deo imperanti praestant obsequii, in eo tamen nihil praeterea praestant, quam ad quod praestandum obligati sunt, ita quidem, ut, cum omnia Dei mandata ficerint, profiteri tamen illos oporteat; *inutiles sumus servi; qui fecimus, quod facere debuimus.* Filius autem Dei, qui carne se nostra obtexit, et eandem sibi univit, hanc suam humanam naturam, in easdem quoque praerogativas assumit, quae sibi, ut Filio Dei, erant propriae; ad quas omnino pertinet, quod et illa omni lege, adeoque et obligatione omni, fuerit soluta. Quidquid itaque ille fecit, et in nostram gratiam fecit, id soli propensio eius in nos animo, et puro eius, in Deum Patrem suum, amor in solidum est tribuendum.

Praeterea, iidem hi non idem praestitere Deo obsequium, quod quidem Christus eidem praestitit, nec eadem, nostram in gratiam, perpepsi sunt, quae quidem Christus perpeccus est, imo quibus praestandis et preferendis ne pares quidem fuere; siquidem Christus omnia ista, quae universum genus humanum Deo eiusque infinitae iustitiae debebat, et agendo et patiendo, ad assēm persolvit. Quod itaque Filius Dei, carne nostra uestitus, virtutis et pietatis exemplum, tum nobis, tum ipsis quoque Angelis, exhibuit, tale est, quale in tota rerum universitate, si a Christo recedis, non deprehenditur.

Non autem, hoc modo, singulare et eximium sanctitatis exemplum tantummodo inventum est mundo; sed per idem hoc factum, fortissimae rationes moventes, ad sanctitatem sectandam, nobis sunt propositae. Quo enim maiora sunt beneficia, quibus Dei benignitas et munificentia nos macat, eo non solum maior inde enascitur in Deum obligatio ad illum amandum, et ei obtemperandum; sed fortiora quoque nobis praesto sunt calcaria, ut illum amemus, eique nos gratos exhibeamus, eiusque mandata exsequamur. Verum, quod Filius Dei nostra se carne, Deo id volente, induerit, ut in eadem nostro loco exquisitissimos cruciatus experiretur, et nos ab aeternis flammis praestaret tutos, denique, ut ius ad vitam aeternam nobis acquireret, eius generis est beneficium, a Dei beneficentia in nos profectum, cum quo nullum aliud potest contendti; imo, beneficium est adeo insigne, ut reliqua beneficia omnia, quae eius munificentiae habentur.

habemus accepta referenda, ad hoc dispareant. 1 Joh. IV, 9. Joh. III, 16. quod ipsum, quoque, et eam vim habet, ad nos commovendos, ut ita Deum amemus, ut etiam omne, quod in viribus est, ei devoveamus, imo ut parati et prompti esse possimus vitam quoque, quoties id eius fert voluntas, lubenti et hilari animo deponere. 1 Joh. III, 16. Phil. II, 5. seq. Quod haec vis et efficacia huic Dei beneficentiae insit, eius exhibit specimen non Prophetae modo et Apostoli, sed innumera quoque exempla sanctorum, qui pro Christo non solum extrema supplicia sunt passi, sed mediis quoque in flammis Deum laudarunt, quod dignos se iudicavit, qui sua morte Dei et Christi gloriam illustrarent. Act. V, 41. cap. XX; 22-24. Rom. VIII, 35-39. cap. XIV, 7-9. 2 Cor. V, 14. 15. Gal. II, 20. Joh. XXI, 29. Ebr. XI, per integrum fere caput. Conf. quoque Catalogi testium veritatis.

Paucis, quemadmodum Christus insigne plane et eximium amoris in alios, et pietatis in Deum, adeoque perfectae sanctitatis nobis omnibus praebuit exemplum, ad imitandum propositum; ita eius incarnationis et, quae, homo factus, in nostram gratiam fecit et perpeccus est, quaeque, per haec omnia, nobis peperit beneficia, haec tantam vim habent, ad nos effingendos in eius virtutis, pietatis et sanctitatis exemplum, ut haec longo post se intervallo relinquant ista, quae in ipso innocentiae statu ad virtutem et pietatem adfuerint incitamenta.

III.) Iustitiae quoque suae, et quam acer spretae et violatae legis suae sit vindex, tale per haec omnia dedit documentum Deus, quale, absque hoc, in universo non existaret. Hanc suam iustitiam demonstravit quidem Deus olim iam, in eversione Sodomae, in eversione Hierosolymae, in telluris huius inundatione, in iudicio, quo malignos spiritus ad aeternos carceres damnavit; demonstrabit eandem quoque, quando aeternis cruciatibus afficiet omnes, qui Christum respouint atque repellunt. Enim vero, quam vehementer Deus irascatur peccatis, ex hoc demum recte conspicitur, quod nec Filiu suo, postquam poenas peccatorum nostrorum luendas in se suscepit, et mortali se carne nostra induit, pepercit; sed ita dure et severe illum tractaverit, ut, sive ad cruciatus ipsos, quos perferendos habuit, sive, ad personae praecellentiam respiciamus, a qua criminum nostrorum poenas sumfit, horror perstringat plane animum, et per haec demum recte conspicuum sit factum, Deum esse ignem edacem

edacem Hebr. XII, 29. Rom. III, 25. cap. V, 9. Ebr. IX, 22. cap. VII, 26. 27. Hebr. X, 26 - 31. Actum ageremus, quodsi in his exponendis fusiores essemus, cum in his abunde nobis satisfacere possit B. Lutherus, in sermone, quem, *Dominica Palmarum*, habuit, in Christi passionem, qui seorsim apud nos recusus, et in omnium manibus est. Et profecto, si quoque effectus testatur de sua causa, ex eodem hoc iudicari quoque potest de gravitate cruciatuum, quos Filius Dei nostro loco perpessus est. Si quidem per cruciatum, quos delinquentes ipsi perferendos habent, et habuissent, nunquam Deus pacatus fuisset, nec pacabitur quoque in posterum; hinc etiam aeterni. Contra ea, dolores isti, qvos Christus pertulit, tantum momentum habuerunt in Dei judicio, ut, per illos, illius iustitiae vindicatrici, ita fuerit satisfactum et Deus ita plene fuerit pacatus, ut iam quoque paratus sit omnibus, ad ultimnm quadrantem, condonare delicta, quotquot modo vera fide Christum suscipiant. 1 Tim. I, 13 - 16. Eph. I, 7. 8. Cap. III, 8. 19. Rom. 8. fere per tot.

IV.) At non benignitatis modo, sanctitatis et iustitiae; sed veritatis quoque suae Deus per haec exhibuit documentum illustrissimum. Profecto, quodsi fieri posset, ut Deus vel semel promissis non staret, sed fidem datam falleret; hoc tum evenisset, cum in eo esset, ut ex condicte Filium suum unicum in carnem mitteret, quo suo sanguine debita nostra expiaret. Enim vero, et tum quoque in fide stetit, Gal. IV, 4. 5. Quo ipso sponsionum suarum, fideique suae pignus gravissimum, certissimumque documentum dedit, nihil tam grave, nihil tam magnuui et pretiosum esse, nee quicquam tantum momenti tantique ponderis habere, quod ex Dei liberalitate et munificentia non diceat exspectare, quando semel illud pollicitus est.

V.) Sunt et alia, quae ad Deum pertinent, quae nobis non innotuissent, nisi interveniente incarnatione Filii Dei, quo fortasse et ipsum S. S. Trinitatis mysterium est referendum. Enim vero, angustia pagellarum vetat illa pluribus persequi. Interea facere non possumus, quin hoc unicum addamus, aut potius repetamus, quod laudata Dei attributa non hominibus modo, per hanc Christi incarnationem, sed omni et universae Dei civitati, et interminatae multitudini spirituum quoque conspicienda sint proposita; adeoque et eorum conjectaria quoque ad Deum celebrandum, ad pietatem in Deum excitandam et augendam, ad studium sanctitatis promovendum, ad fiduciam in Deo ponendam, ad intensissimum in Deum amorem pro-

gignen-

gignendum et confirmandum, cet. non ad genus humanum modo, sed ad omnes quoque totius universi, quaqua patet, incolas, ratione et libera voluntate donatos, omnino pertineant. Quemadmodum enim iudicia illa, quae olim Deus in alios, imo et illud, quod exercuit in malignos spiritus, non angelis modo, sed et nobis, hanc tellurem inhabitantibus, proposita sunt, ut in illud intuentes, et nos quoque Deum reverenter et religiose colamus Hebr. II, 1-4. cap. X, 24-31. cap. XII, 25-29. 2 Petr. II, 4-9. Jud. v. 4-7; quemadmodum praeterea, quae Deus olim in dissipissimis regionibus, imo et Angelis dedit benignitatis, munificentiae, veritatis suae cet. specimina, imo, omnia ista, quae sacrarum litterarum monumenta modo comprehendunt, proposita sunt, ut, per patientiam et scripturarum consolationem, nos quoque spem habeamus, Rom. XV, 4: ita eo minus est dubitandum, quin illa, quae Deus per incarnationem Filii nobis hominibus beneficia praestitit, et attributorum suorum documenta existare voluit, eodem id procurante, ad omnes reliquos spiritus, quos universum capit, percrebuerint, ut et hi quoque usum ex his habeant et fructum percipiant, cum divina oracula, data opera et dilecta, hoc doceant Eph. III, 8-12. conf. 1 Petr. I, 12. Luc. II, 13. 14. Restat ut evincamus,

VI.) Quod per hanc Filii sui in carnem nostram missionem Deus praecepit suam conspiciendam dederit *immensam sapientiam*.

Evidem videri posset, quod, si etiam alia attributa divina hoc in negotio demonstrasset Deus; nullo tamen pacto cum regulis sapientiae divinae, hoc eius factum possit conciliari; dum primo, si vel maxime cupivisset rebus humani generis, non tamen opus fuisse, ut impendio hoc Filii fecisset, cum per solam potentiam homines beare, adeoque studio suo in eos lapsos plenissime facere potuisse, quod satis est. Secundo, quoniam, dum Filium unicum, qui verissimi nominis Deus est, dedit, ut homines lucri faceret, hoc ipso plus amiserit et perdiderit, quam quidem lucratus sit; utrumque autem hoc ita repugnet legibus sapientiae, quam quod maxime. Quod autem ad

Primum, respondemus, quod si Deus per suam potentiam absolutam homines lapsos felices rursus praestitisset, quod quidem illum praestare potuisse, non inficiamur, tum in hoc reparationis negotio et modo, evidem suam potentiam suamque beneficentiam conspiciendas praebuisse; sanctitatis autem illius, aut potius iustitiae ult

tricis, nullum in eo apparuisset vestigium et documentum. Quo ipso autem omnino suae defuisset gloriae; siquidem ea ex illis modo conspicitur operibus, ex quibus, quando res agitur entium ratione gaudentium, eius attributa in nexu elucent; imo defuisset quoque beatitati promovendae reliquae suae civitatis, quae continetur intuitu, non solius benignitatis et potentiae, sed sanctitatis quoque et iustitiae divinae; de quibus olim exposuimus in Dissertationibus, de Satisfactionis necessitate, anno 1732. habitis.

Jam, quoniam gloria divina finis est omnium operum divinorum; haec autem per illa modo opera obtinetur, quae non unum alterummodo, sed attributa Dei, in nexu exhibent; sapientiae autem sit, eam sequi agendi rationem, qua finis propositus optime obtinetur: profecto, tantum abest, ut reparatio generis humani per Christum, eiusque incarnationem, regulis sapientiae repugnet, ut potius sapientiae divinae nullum maius, et magis illustre, exstet documentum, hac Filii Dei incarnatione; siquidem, quod superius demonstravimus, exinde attributa Dei moralia generatim omnia, in primis autem eius iustitia et benignitas in genus humanum, hunc in modum eluceant, ut neque laudi iustitiae nec benignitatis divinae per eam quicquam derogetur; quin potius tum haec, tum illaiesdem radiis eodemque iubare inde exsplendescant. Qua de causa Apostolus Paulus pronuntiat quoque, quod, ex hoc reparationis hominum modo, ipsi Angeli quoque gravissimum certissimumque divinae sapientiae documentum accipient. Eph. III. 8-10. coll. Luc. II. 13. 14. 1 Petr. I. 12.

Ex his ipsis cernitur quoque, quod oppido fallantur, qui, in hoc reparationis hominum divino negotio, eandem sibi rationem invenisse videntur, quam quidem sequeretur pater familias, qui, ut gregem quendam v. g. ovium, poena liberaret, et eum servaret, filium unicum iuberet earum sibi naturam iungere, et earum loco mortem occumbere. Nam ex hac causa Deus hanc, per vicarium Christum, redimendi et reparandi homines viam est ingressus, ut ex altera quidem parte, pro sua in illos benignitate, medium illis procuraret, cuius beneficio servari et aeternum beari possent; ex altera autem, ut ne, si nulla praevia expiatione, sola potentia usus, illos servaret et felices praestaret, suae iustitiae eiusque demonstrationi deesset, id quod alibi demonstratur, et ex ipsis illis, superius N. III. excitatis scripturae testimonis, perspicue claret. In illa autem, quae ratione et

et libertate carent, exercitium et demonstratio iustitiae non cadit, siquidem iustitia ultrix ponit proprie dictum peccatum; hoc autem legem stricte dictam; lex autem, respectu eorum, quibus scribitur, in his praesupponit rationem et liberam voluntatem: hac autem pecora, vermes cet. omnino carent. Hinc citra controversiam, pater ille familias, absone ageret, si dictum agendi modum sequeretur; quoniam hac ratione non solum superflua faceret, sed et talia, quibus hoc in casu ne locus quidem eslet. Ast, consilii divini, in reparando genere humano, per Christi incarnationem et eius mortem, disparem plane et per omnia diversam esse rationem, per se patet.

Quod autem ad secundum attinet, scilicet, quod in hoc negotio, Deus plus perdiderit quam quidem lucrificerit, seu ad illum redierit, largimur, et sponte quidem, quod Deus servando generi humano id impenderit, quo nihil pretiosius rerum omnium universitas continet, dum Filium impertitus est, quo ipsi nihil est carius, quique maius habet momentum, quam reliqua, quae adsunt, omnia.

Interim inde non consequitur, ut hoc in negotio, Deus plus impenderit, quam quidem lucri fecerit. Nam a) Quamvis Dei hic Filius unicus, multa acerba, imo mortem ipsam fuerit perpeccus, non tamen haec omnia perpeccus est, ex ea parte, qua Deus est, siquidem in Deum, qua Deus est, proprie perpecciones et mors non cadunt, sed, per suam naturam, omnis mutationis et dolorum in se absolute est nescius. Quicquid itaque Filius Dei perpeccus est; id est perpeccus secundum naturam suam humanam sibi unitam; quamvis, qua Deus, eam in illis perferendis suffulserit, iisque, quae pertulit, illud pretium indiderit, quo apud Deum valent. b) Quamvis largiamur Filium Dei, et hoc modo, quo in sua humana natura passus est, immensum pretium et momentum habere, et majus quidem, quam ut aliquid ad illud sit comparandum. Nihilo tamen minus Deus Pater, hoc in negotio, non ita eum dedit, ut illum plane perdidierit, aut nunquam terminandis cruciatibus eum addixerit, ita quidem, ut postea, Filio suo hoc unico plane orbus fuerit; quo ipso plus omnino impendisset et perdidisset, quam quidem lucratus esset; sed ad hunc modum, Filium dedit, ut exantato, per triginta, et quod excurrit, annos gravissimo hoc opere, Filius redierit ad Patrem et ista maiestate et aeterna ineffabilique beatitate, primo conceptionis momento cum sua humanitate jam communicata, qua homo quoque, plene sine interruptione et in perpetuum jam utatur

B 3

et

27.

28.

et fruatur. Psalm. VIII, 5. seq. Ebr. II, 6. Phil. II, 5. sqq. conf. Joh. V, 21-27. Math. XXVIII, 18. b) Quaestio itaque, de hac re, eoredit, utrum Deus, dum Filium suum in carnem misit, ut in eadem, ad certum tempus, exquisitissimos nostro loco perferret cruciatus, mortemque ipsam tum ignominiosissimam tum acerbissimam occumberet, imo ut ipsam iram Dei, qui ignis edax est, sustineret, *plura impenderit, quam quidem lucratus fuerit?*

Jam, omnino quidem, Dei et Filii Dei propensissimum in nos amorem admirari satis non possumus, dum ille Filium suum unicum in carnem nostram misit, et hic eandem sibi unire et gravissimus, per annos triginta, et quod excurrit, tormentis, se subjicere lubens voluit. Haec Dei in nos benevolentia et misericordia, omnem nostrum captum omnemque cogitationem excedit; Eph. III, 8. 19. idque eo magis claret, quando animo volvimus, quod haec omnia nostram in gratiam peracta sint, in nostram, inquam, gratiam, qui non solum miseri homunciones, sed ejus etiam inimici et hostes eramus. Rom. VIII, 7. Coll. I, 21. Rom. V, 8-10.

Interea ut haec non eo trahantur, ac si in his Deus contra regulas sapientiae egerit, quo ipso, si res se ita haberet, ipsa hujus dogmatis, de Filii Dei incarnatione, veritas omnino everteretur; ad hoc probe animus est attendendus, quod per haec omnia Deus etiam ea sit consecutus, quae maximum momentum maximumque pondus habent.

Non solum, enim, hoc agendi modo, id est consecutus Deus, ut myriades hominum flammis aeternis reapse sint erepti et eripendi; contra beatitati ineffabili et nunquam terminandae sint redditi et reddendi, ob quod hi Deum et Christum sempiternis laudibus celebrabunt.

Per haec, praeterea, non solum et id effectum est, ut jam, ad unum omnibus, aditus ad eandem beatitudinem pateat, ita quidem, ut nulli alii ista negata sit, nisi illi soli, qui ipse hoc Dei gratiosum in se consilium aspernatur atque repellit;

Per haec denique non solum felicitas totius civitatis Dei et infinitae multitudinis Spirituum, non uno respectu, aucta et toti universo summa, quam capere potest, perfectio indita est; sed, quod maximum, Dei quoque attributa ex hoc negotio ita exsplendescunt, ut ex hac ratione, rerum universitas ejus generis speculum divinorum sit attributorum, quale non existisset, si Filius Dei, per suam incar-

incarnationem non ei esset intextus; ut adeo et Deus ipse ultimum, omnium suorum operum finem per haec sit assecutus.

Non itaque hoc in negotio causa modo agitur *hominum*, non modo causa *totius civitatis Dei*: sed causa quoque *ipsius Dei*.

Quando autem hoc modo, ut par est, rationes subdueuntur, non est, ut laudi sapientiae Dei, ex hac de Filii Dei incarnatione, vel quicquam metuamus. Quin potius ex hac ipsa, sicuti alia Dei attributa, ita ejus quoque sapientia elucet. Quid? quod, quantum et Filium Dei ipsum attinet, ille cruciatus quidem exquisitissimos et incrediles, imo mortem ipsam, ut vitae suae Dominus, ex voluntate Patris homo factus, pertulit; sed, quemadmodum illos Iubens suscepit, ita quoque iidem jam sunt terminati; mors quam occubuit, jam est debellata; ignominia, qua conspergebatur, jam est abstensa; contra, ut homo quoque, jam vivit, vivit summe beatus, vivit constitutus in gloria nunquam terminanda; sibique ipsi, non alia, quam jueunda est, et esse potest, praeteritorum malorum et cruciatuum, quos pertulit, recordatio: dum jam experimento quoque deprehendit, quantopere, per illa, quae perpeccus est, promoverit beatitudinem generis humani, felicitatem totius civitatis Dei, in primis autem gloriam Patris.

Simul, ut haec addamus, ex his ipsis cernere licet, quam parum momenti habeat, ad criminandam hanc, de incarnatione Christi, veritatem; quando obvertitur, eam peraeque parum decere Deum, atque deceret hominem, talia, qualia Christus pertulit, suscipere in vermis alicujus gratiam. Nam, quamvis citra controversiam, homo, in comparatione ad Deum eiusque Filium, longe minus pretium minoremque dignitatem habeat, quam quidem vermis ad hominem, nihilo tamen minus homo conditus atque aptus est, ad Dei imaginem gerendam, ad Deum cognoscendum, et ad eum laudandum; præterea non solus homo, hac in quaestione, est spectandus, sed reliqua quoque, de quibus superius exposuimus, ad calculum sunt vocanda; et, quod præcipuum est, ad Dei gloriam hic est respiciendum, qui omnino meretur, ut ab homine ipso, et propter eum, ab universa Dei civitate aeternis concelebretur laudibus. Quod si itaque homo ipse non dignus est, cuius in gratiam Filius Dei se carne ejus induerit; Deus tamen dignus est, ut ad illum illa redundet ex negotio hoc gloria, quae inde, ad ejus immensam benignitatem collustrandam proficisci modo potest. Aut, dedecet fortasse Deum immensae

suae

18

27

suae beneficentiae et infinitae suae misericordiae documentum edidisse; cum illum non dedebeat tale dedisse suae potentiae et scientiae infinitae? Quantum ad nos, nostra haec est sententia, quod, sicuti magnos magna, ita infinitum, qualis Deus est, infinita quoque deceant; et, quod tantum absit, ut ex ea causa, haec incarnatio Filii Dei Deum dedebeat, quoniam illa, infinitam et omnem nostram cogitationem excedentem, in nos homines, beneficentiam loquitur; ut potius, si etiam nihil aliud accederet, vel solo hoc nomine Deo dignissima sit censensa.

Nos igitur, *Cives*, de hoc modo cogitemus, quid nos jam deceat, nos inquam, quorum in gratiam Deus hunc suum Filium dedit: Hujus autem summa quasi est: gratias habeamus Deo ter optimo terque maximo, et Filio ejus unico, quas mente concipere possumus maximas, quod nos ita amaverint, ut ille nostram in gratiam Filium suum dederit, et hic mortem nostro loco occubuerit; ut, quisquis in eum credit, non pereat, sed vitam obtineat sempiternam. Et hoc eo magis, cum in his exemplum nobis praeeant, non viri tantum sancti, sed ipsi quoque Angeli; quamvis ad hos non tam prope hoc divinum beneficium pertineat, quam quidem ad nos homines.

IPetr, I, 3-9. Eph. I, 3-6. cap. III, 8. 19. Luc. II, 10-14. Apoc. XII, 10-12. Operam etiam demus omnem, ut ne in cassum hoc Dei acceperimus divinum beneficium. Agnoscamus itaque, quam desperata fuerit causa nostra, cui nulla alia medicina mederi potuerit, quam ut Pater Filium suum dederit, et hic carne se nostra induerit, et in eadem sanguinem profuderit; eumque precibus adeamus ardentissimis, ut suae incarnationis fructuum et nos participes reddat. Denique non cogitemus solum de his, quid nos jam deceat: sed nihil quoque nobis peraeque curae cordique sit, quam ut nos reapse quoque totos devoveamus Patri, qui nostram in gratiam non pepercit Filio suo unico; et Filio quod non recusaverit nostra se carne induere, et eadem vestitus, pro nobis mortem occumbere. Gloria autem sit Patri, eadem quoque sit Filio et Spiritui Sancto in secula seculorum,
Amen.







Patch Reference Chart TE63 Serial No. 1
Image Engineering Scan Reference Chart TE63

¶ o ¶

21

§. VI.

oc vt inter Deum T.O.M. & gentem ritu sollemini fieret, Moses, altari ex- regis Ieayes cum sacrificiis eucharisticis inguine populum, ad altare qui stabat, ens; ecce sanguis illius foederis, quod per cum Exod. XXIV. v. 7. seqq. In usu hoc ate apud gentes, vt testentur se caede, as esse. Auctor est Liuius hist. L. I. cap. quic M. Valerius (Fecialis), Jupiter, au- populi Albani, audi tu populus Alba- m prima postrema, ex illis tabulis ce- sit, sine dolo malo, vtique ea hic hodie ecta sunt, illis legibus populus Roma- eficiet. Si prior defecit publico con- ; tu illo die Jupiter populum Roma- t ego hunc porcum hodie feriam: tan- to, quanto magis potes, pollesque. Id m saxo filice percussit., Et Virgilius l. v. 639. seqq.

nter se posito certamine Reges s ante aras, paterasque tenentes aesa iungebant foedera porca. adferunt HERODOTVS Libr. I. cap. GHTAEVS in Annal. Sacr. Exc. 39. It, vt Moses horum ritus fuerit imita- sacrificio mortem Messiae adumbra- C 3 rit

28.